


DISSERTATIO MEDICA, INAUGURALIS, DE RHEUMATISMO ACUTO.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOSIAS NISBET,

ex INDIA Occidentali.

Prid. Id. Septemb. hora locoque solitis.

Atthide tentantur gressus, oculique in Achæis
Finibus, inde aliis alius locus est inimicus
Partibus ac membris: varius concinnat id aër.
Proinde ubi se cœlum, quod nobis forte alienum'st,
Commovet, atque aër inimicus serpere cœpit:
Ut nebula ac nubes paulatim repit, et omne,
Qua graditur, conturbat, et immutare coactat. LUCR.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXVIII.

DISSERTATIO MEDICA

DE

RHEUMATISMO ACUTO.

MORBUM describere aggredior, nostra quidem aetate frequentissimum, ab antiquis vero si non praetermissum, saltem non graphice delineatum. Auctores quippe antiqui omnes dolores prope articulos sitos sub titulo generali Arthritidis comprehenderunt, hanc rursus in species diversas dividentes; facile vero patet, distinctionem accuratam ad morborum cognitionem haud exigui momenti esse, et hic praecipue necessariam; cum articulorum dolores inter se, in caussis, phaenomenis, et methodo medendi, tantum discrepant.

NOMEN Rheumatismi indeterminate ab antiquis pro quavis humorum fluxione u-

ſitatum; primum vero, ad morbum de quo tractamus ſignificandum, a BALLONIO uſurpatum; ille morbum a podagra et catarrho diverſum internovit, atque ſatis perſpicue deſcripſit.

RHEUMATISMUS a SAUVAGES, in claſſe ſua Dolorum, cum morbis indole multum diverſis collocatur; melius vero ad febres inflammatorias refertur, et cum pleuritide, angina inflammatoria, et aliis phlegmaſiis affinibus, conſociatur. Hae enim omnes cum diatheſi phlogiſtica et febre acuta continua ſtipantur, ab iiſdem cauſis ortae, et eadem fere methodo curandae.

IN plures ſpecies ab auctoribus diverſis diſtinguitur; in rheumatiſmum nempe venereum *, ſcorbuticum †, febricoſum ‡, et ſic porro: In hiſce tamen articulorum, dolor ſymptoma eſſe videtur, et quaſi morbus

* Hoffman. oper. omn. tom. 2. p. 320.

† Ibidem.

‡ Morton, cap. 9. hiſt. 22.

morbus primarius a quo pendet curari debet; itaque, ſi a lue oritur, per mercurium et lignorum decocta; ſin a ſcorbuto, per medicamenta antiſcorbutica; ſive a febre intermittente, per corticem Peruvianum, tollitur. His igitur merito rejectis, quoniam ad alia genera pertinent, in duas ſpecies rectius dividitur, in Rheumatiſmum nempe Acutum et Chronicum; alteram quae cum febre eſt, alteram ſine ea.

In hac diſſertatione de acuto ſolum tractandum; a multis calido, inflammatorio, univerſali, dicto.

Rheumatismus acutus dolor eſt, cum febre acuta continua, prope articulos ſitus, et plerumque una cum tumore et rubore comitatus.

MORBI

MORBI HISTORIA.

ACCESSUS ejus laſſitudine ſpontanea indicatur, dolore capitis, et aliis phaenomenis febrilibus conſuetis; frigoris ſenſu, ſcilicet, et horrore; ſequentibus aeſtu circa praecordia, ſiti, inappetentia, anxietate et ſpirandi anguſtia *, cum pulſu celeri, pleno, et duro. Aliquando ſub initio paralyſin ſimulat, quae per totum morbi decurſum durare, et in morbi diagnoſi imperitos fallere poteſt.

FEBRIS huc uſque pergit ſine dolore ulli parti affixo; die vero ſecundo vel tertio elapſo, interdum citius, dolores atroces in articulis diſcruciare incipiunt, praeſertim in genubus, humeris, et carpis; neque in illis ſolummodo detenti, per omnes alias oſſium juncturas celeriter oberrant, et in coxis, lumbis, cervice, cubitis, talis, vel digitis

* Hoffmann. oper. omn. tom. 2. p. 319.

digitis ſaeviunt. Dolores motu et aëre frigido admiſſo acerbiores redduntur; eos etiam attactus auget; mitiores vero dum aeger quieſcit et tepore modico fovetur. Cum plures articuli afficiuntur, motus tunc fere perdifficilis; minima cauſa dolores magis intenduntur, etiam ſtragulorum incumbentium gravitate vel leviſſima lecti agitatione.

Febris et dolores exacerbationes ſuas veſpere exercent, quae, per plurimam noctis partem durantes, aegros ſomno privant. Noctes etiam ſaepe ducunt inſomnes; quia fere immobiles in una poſitura ſemper decumbere coguntur.

Si in quovis articulo dolor et inflammatio valide et diu affligunt, eos tumor et rubedo comitantur. Dolores plerumque tamen vagi ſunt, raro ultra paucos dies eidem parti affixi; ideo hi inflammationis comites non ſemper adſunt. Pertinaces et curatu difficillimi, cum lumbos, coxas, vel

cervicem

cervicem invadunt. Quando lumborum vertebras occupant, et juxta ureteres ad os ſacrum deſcendunt, Lumbago, cum coxas, Dolor Iſchiadicus, appellatur. Interdum pleuritidem aemulans coſtas invadit, tunc Pleuritis Symptomatica dicta.

SUDOR ſaepe viſcidus parcus ſuffunditur, minime levans, raro in articulis dolentibus; nam, partibus ſubjectis dolore affectis, ſpaſmus cuti vicinae communicatur, et vaſa exhalantia conſtringuntur. Sudor tamen aliquando uberrimus et conſtans cum ſymptomatum levamine fluit.

FEBRIS in duratione et violentia incerta eſt, aliquando fortis, interdum levis; nulla putredinis indicia oſtendit; lingua ſaepe nitida*; nullus vomitus, nauſea, aut ructus

* Sauvages Noſolog. method. claſſ. 7. ord. 1. de rheumatiſmo, haec verba habet: Febris eſt immunis a putredine, lingua eſt nitida, &c. Haec tamen regula minime generalis; nam, ſi febris vehemens eſt, lingua ſemper muco obducitur.

tus adſunt. Ut plurimum cito terminatur; cum levis eſt, inter paucos dies, quiete, lecti calore modico, et potu copioſo diluente, difflatur, et quanquam vehemens, ſi caute tractata, ſemper ante diem decimum quartum; tametſi dolores diutius durare poſſunt, et etiam interdum majore cum violentia ad diem quadrageſimum uſque protrahuntur.

SANGUIS ex patulo vulnere in vas anguſtum miſſus, modo non juxta brachium fluxerit, et ſine agitatione aliquamdiu ſteterit, pellicula flava, craſſa, et tenaciſſima induitur, ſero a ſanguine tarde ſecedente, et quod ſecedit pauxillum eſt et craſſum; et aliquoties obſervatum eſt, virgula elevatum fila egiſſe *; illius vero facies, pro febris vehementia vel morbi diuturnitate, varia eſſe poteſt. Quo cauſae et ſymptomata graviora fuerunt, eo denſior et craſſior pellicula futura eſt. Haud infrequenter

* Storck, ann. med. 2. de febre contin. arthrit. et rheumat.

frequenter annotatum fuit, quod, in horum dolorum initio, ſanguis ſanorum ſanguini ſimilis prodit; ſub longiore vero mali progreſſu, pellicula tenaci imbutus emittitur.

ALVUS pertinaciſſime ſemper adſtricta eſt; urina, ſi febris valida urget, rubra, parca, ſine ſedimento, vel, in magna dolorum exacerbatione, tenuis, pallida evacuatur *; at, ſi ſudor copioſus manat, vel impetus febrilis ſeſe remittit, tunc copioſa, turbida, jumentoſa evadit, ſerum lactis referens, et ſedimentum albidum furfuraceum deponens.

QUI ILLI OBNOXII.

INCIPIENTE Vere, vel ſub finem Autumni, rheumatiſmus, et quidem omnes morbi

* Storck. ann. med. 2.

morbi inflammatorii, praecipue grassantur; cum subitae coeli mutationes et noctes frigidae diebus, plerumque tempore meridiano radiis Solis ardentibus succedunt. In hac vero nostra regione, ubi tanta coeli intemperies, et gradus caloris uno die saepe tam varii, quavis anni tempestate invadere potest.

Qui corpus plethoricum validum habent, quive fibras tensas, illi obnoxii; qui aetate florentes, sexus virilis *, qui in otio vitam degunt, genio indulgentes, veneri et vino dediti †, occasione data, facilius rheumatismo corripiuntur. Qui, evacuationibus nimiis, vel morbis praegressis imperfecte curatis, debilitati sunt, hunc morbum quam facile experiuntur. Qui medicamenta mercurialia sumunt, frigore subito admisso, in rheumatismum pessimi generis incidunt; mercurius enim hujus morbi generationi favet, diathesin inflam-

 matoriam

* Boerhaave Aphorism. p. 368.

† Hoffman. opera omnia, tom. 2. p. 320.

matoriam inducendo, et corpus frigori ſenſilius reddendo. Denique, evacuationes ſolitae ſuppreſſae, ſicuti plethoram gignunt, ita ad hunc etiam diſponunt.

Si, poſt conditiones quaſlibet hactenus enumeratas, corpus aurae frigidae nocturnae, flante vento Boreali, incaute exponatur, vel in aquam gelidam ſubito immergatur, rheumatiſmus excitari poteſt. Multo certius tamen hoc ſequetur, ſi corpus exercitio vel balneo calefactum eſt; frigus tunc enim fortius agit, praeſertim cum in corporis partem aliquam, caeteris calefactis manentibus, cum impetu dirigitur. Frigus tunc cauſa procatarctica eſſe videtur, vaſa, cum multum dilatata et ſanguine turgentia, ſpaſmodice conſtringendo, obſtructionem atque inflammationem gignendo.

PROGNOSIS

tus adſunt. Ut plurimum cito terminatur; cum levis eſt, inter paucos dies, quiete, lecti calore modico, et potu copioſo diluente, difflatur, et quanquam vehemens, ſi caute tractata, ſemper ante diem decimum quartum; tametſi dolores diutius durare poſſunt, et etiam interdum majore cum violentia ad diem quadrageſimum uſque protrahuntur.

Sanguis ex patulo vulnere in vas anguſtum miſſus, modo non juxta brachium fluxerit, et ſine agitatione aliquamdiu ſteterit, pellicula flava, craſſa, et tenaciſſima induitur, ſero a ſanguine tarde ſecedente, et quod ſecedit pauxillum eſt et craſſum; et aliquoties obſervatum eſt, virgula elevatum fila egiſſe *; illius vero facies, pro febris vehementia vel morbi diuturnitate, varia eſſe poteſt. Quo cauſae et ſymptomata graviora fuerunt, eo denſior et craſſior pellicula futura eſt. Haud infrequenter

* Storck, ann. med. 2. de febre contin. arthrit. et rheumat.

degenerat, vel paralyſin aut articulorum anchyloſin relinquit. Haec tamen citius ſequuntur in ſeneſcentibus quam in junioribus, in debilitatis quam in vegetis.

INFLAMMATIO haecce ſaepe in reſolutionem abit, raro in gangraenam; vix unquam in ſuppurationem tranſit. Cum inflammatio longo temporis ſpatio, et magna violentia, ulli parti affixa eſt, fibrae ultra tonum diſtendi poſſunt; hinc laxitas et atonia: Interdum vero partes inflammatae firmiter compactae in duritiem fere ſchirroſam condenſantur; hinc rigiditas et immobilitas ſaepe ſequuntur. Per vim frigoris ſedantem, paralyſis aliquando producitur: Frigus enim, pro gradu quo applicatur, vel ſtimulat vel ſedat *; minore, influxum fluidi nervoſi majorem affert, et fibras irritabiliores reddit; ſi vero majore applicetur vel diutius continuetur,

* Profeſſor noſter Cullen, in praelectionibus ſuis academicis, multa egregia de frigoris effectibus nobis commemoravit.

tur, fibras conſtringit, hunc influxum impedit, paralyſin gignit.

Sæpe ſine criſi terminatur; quandoque tamen ſudore copioſo oborto et per integrum corpus manante, vel urina craſſa multa, ſolvitur. Ab haemorrhagia ex naribus, vaſis haemorrhoidalibus, vel utero, dolores interdum ſilent. Ulcera in pedibus ſuborta levamen ſaepius attulerunt, teſtante Hoffmanno *; rurſus, eis arte conſolidatis, dolores mox recruduerunt. Criſis ſalutaris cum eruptione fit cutanea; oborta ſcabie, leprae albae naturam habente, dolores penitus ſublati ſunt †. Mihi tamen videtur, rheumatiſmum hiſce criſibus proxime memoratis ſolutum, non ſane purum, ſed cum alio morbo junctum eſſe.

Tumores ingentes lymphatici aliquando per materiei confluxum in unum locum

* Opera omnia, tom. 2. p. 320.

† Ibidem.

cum efformantur ; ii medicamentis discutientibus non dissipari possunt: Si vero postea aperiuntur, effluit seri flavi, viscidi, magna copia, et aeger brevi temporis spatio sanitatem pristinam recuperat *.

INSPECTIO ANATOMICA.

Jam nunc dictum est rheumatismum raro mortem inferre ; ideo documenta ab hoc morbo peremptorum, sectione facta, rarius occurrunt. Paucae sectionum historiae enarrantur, ubi materies flava, gelatinosa, copiosissima, inter membranam pulmones ambientem et inter pulmones ipsos, deprehensa est ; haesit quoque valde copiosa inter piam matrem et cerebrum atque cerebellum. Anteriores cerebri ventriculi etiam tali materie repleti fuerunt †. In cadaveribus dissectis concreta non solum gelatinosa in musculis et eorum aponeurosibus inventa, aliquando

* Storck ann. med. 2.

† Storck ann. med. 2.

do tamen tophacea reperta *. Hoc tamen nunquam contingit, nisi morbus longo temporis spatio duraverit, vel cum arthritide conjunctus fuerit.

CAUSA PROXIMA.

Causis remotis necessario praemissis et pensitatis, nunc ad causam morbi proximam considerandam deventum est.

In minimis vasculis membranarum musculorum, et ligamentorum, aponeurosium, et musculorum ipsorum, inflammatio esse videtur, a constrictione spasmodica et sequente obstructione orta. Haec inflammatio in suppurationem non desinit; quia vascula obstructa in telam cellularem, quae sedes suppurationi solum apta, non inhiant; et quamvis lympham tenuem vehant, tamen materies crassior in pus convertenda per ea non transire potest.

DIAGNOSIS

* Lieutaud precis de medicine.

DIAGNOSIS.

Dolores rheumatici ſimilitudinem quandam cum paucis aliis morbis habent, et cum illis ſaepius confunduntur; neceſſe igitur eſt eos enumerare, et ſigna diagnoſtica referre.

Arthritis, ſcorbutus, et lues venerea, morbi ſunt qui praecipue attentionem noſtram merentur. Inter eos, arthritis primum conſiderari debet; cum haec prae aliis rheumatiſmum ſaepius aèmulatur, et ab eo difficilius diſtinguitur.

Rheumatismus ab arthritide dignoſcitur a doloris ſede, ab aegri aetate, et a morbi cauſis atque ſymptomatibus. Arthritis ſuam ſedem in articulorum ligamentis habet, et, ſi inveterata, ſpatium inter articulorum cavitates magis occupat; rheumatiſmus in membranis muſcularibus,

bus, vel parti carnosae superficiei propioribus. Prior impetu primo sedem in pollice pedis vel in calce figit; posterior ibi rarius, saepius in genubus. Arthritis, cum nulla est labes gentilitia, raro nisi aetate vergente oboritur; rheumatismus, quavis vitae aetate, saepius tamen juvenes, invadit: Alter quasi sponte oboritur sine causa externa; alter a causa excitante facile detegendus. Hae omnes notae aliquando tamen fallaces, et minime universales vel ab exceptione immunes. Nam, in podagra, inflammatio ad partem muscularem se extendit, et, quod ad situm et conspectum, rheumatismo similis esse videtur; et a vi externa vel a crapula paroxysmus suscitari potest. Attamen diagnosis omnium certissima a symptomatibus morbum praegressis, vel illum comitantibus, obtinetur. Arthritidis paroxysmis semper ventriculi affectiones antecedunt, cruditas et indigestio, nausea vel vomitus, quae indies augentur donec materies ad artus deferatur; haec tunc fugantur, et

cibi appetentia redit: At, ſi materies morbifica a partibus extremis repellitur, tunc majore violentia ventriculi affectiones recurrunt. Uti alternatim cum ventriculi affectionibus, ita cum nephritidis paroxyſmis, invicem recidit. Qui graviore praeſertim arthritide laborant, hac ceſſante, in nephritidem calculoſam quam facile incidunt; hac vero quieſcente, in arthritidem iterum relabuntur. Dolores rheumatici ſaepius et ſubito moventur, et ad alios articulos ſine capitis periculo vagantur; arthritici vero pertinacius fixi, et, cum articulos integrè relinquunt, timendum eſt ſymptomata peſſima inſtare. Hunc morbum jam ſatis fuſe a rheumatiſmo diſtinximus; nunc ad caeteros pergendum. Dolores rheumatici ſcorbuticos et venereos referunt, quod noctu per lecti calorem exacerbantur; ab iis vero per quaedam ſymptomata facile dignoſcuntur: A ſcorbuticis, quod nullus oris foetor, nulla ex gingivis haemorrhagia, nullae maculae cutaneae; a venereis, quod hi in media

media parte oſſium duriſſima, illi prope articulos adſunt. Uti hi morbi inter ſeſe ſaepiús confunduntur, et perſonam utriuſque invicem gerunt, ita dolores rheumatici pro nephritide vel pleuritide aliquando falſo enumerantur. Illa ſpecies, quae lumbago audit, interdum pro nephritide, propter doloris ſedem, habetur; lumbago vero ſine vomitu eſt, et dolor motu tactuque magis quam in nephritide intenditur. Alia ſpecies, pleuritis ſymptomatica appellata, ab idiopathica diſtinguenda, quod ſedem ſuam in muſculis intercoſtalibus ſuperficiei propiorem habet, tumore et rubedine ſtipatur, ad tactum magis dolet, nulla tuſſis, nullum ſputum adeſt, et reſpiratio non tam anheloſa.

CURATIO.

His igitur, forte nimis breviter, percurſis, nunc ad curationem perpendendam noſmet accingamus. Indicationes curatoriae, ut mihi videtur, ſunt:

1mo, IMPETUM febrilem in toto corpore refraenare.

2do, SANGUINIS impetum in partibus inflammatis minuere.

3tio, SPASMUM et constrictionem solvere.

I. INDICATIONI primae satisfacimus evacuationibus omnis generis, diaeta tenui et refrigerante, et cavendo ab omni stimulo.

IMPETUM sanguinis et tensionem totius systematis subito et certo per sanguinis missionem minuimus, quae in omni febre cum inflammatione topica remedium praecipuum esse solet. In rheumatismi curatione a BOTALLO primum instituta est; et post eum a BALLONIO, RIVERIO, et SYDENHAMO, omnibusque fere auctoribus qui morbum rite tractabant, laudibus effertur.

UBI

Ubi febris magna est, aeger validus, adultus, plethoricus, cum pulſu duro, forti, rubore et tenſione in articulis, ſanguis ſtatim ad decem vel duodecim uncias mittendus; et, uti vaſa omnia magis laxentur, eductio ſubito, pleno rivo, ex patulo vulnere in magno vaſe, aegro recumbente, fieri debet.

Et, ſi in morbi adhuc ſit initio, evacuatio ter vel quater, pro aegri viribus, repetenda, donec febris cedere incipiat.

Venæsectio in hoc morbo ſatis libere adhibetur, quia levamen ſubitum ſaepe affert; et, quanquam evacuatio immodica fuiſſet et frequenter repetita, tamen ſine ullo damno praeſenti fertur. Cautela vero opus eſt; ſi enim magna ſanguinis copia profuſa eſt, remedium fallax effectus ſuos noxios poſtea oſtendet, debilitate et laxitate totius ſyſtematis relictis, quae multis morbis obnoxios reddit, praeſertim illi cum quo paulo ante colluctati ſunt;

et

et ſi ſine recidivo vel alio morbo evadant, tamen tarde convaleſcunt.

Si aegri tunc, morbis praegreſſis, aut evacuationibus magnis, debilitati; ſi ſeneſcentes, delicatuli, vel magna ſyſtematis nervoſi mobilitate praediti, vel etiam ſi morbus diu duraverit, venaeſectio caute celebratur.

Ad hunc ſcopum quoque cathartica dantur; haud tamen exſpectandum eſt, morbum ab iis integre curandum eſſe; ſymptomatum vero violentiam ea levare poſſunt.

Minime acrida eſſe debent, quae plus noxae per ſtimulum ſuum afferunt, quam boni per evacuationem: Mitia ſolum optima; talia ſunt ſales neutri, manna, tamarindorum et caſſiae pulpae, fructus horaei, et quaecunque alvum ſine ſtimulo generali leniter ſolvunt. Cum viae pri-

mae

mae ſemel vel bis miti tali medicamento purgatae ſunt, ſi alvus adhuc clauſa manet, enemata poſtea emollientia ſingulis diebus injicienda ſunt. Haec ſemper catharticis anteponimus; quia, minimo ſtimulo agentes, alvum tutius humectant.

Uti impetus febrilis coerceatur, diaeta tenuis, refrigerans, minime alkaleſcens eſſe debet, ex vegetabilibus concoctu facilibus parata; potus ex decocto hordeaceo vel avenaceo, aut ſero lactis, grate cum ſucco citri acidulatus, copioſe hauriatur. Aromata calida, cibi ſaliti, et potus ſpirituoſi, vel calor nimius externus, caute evitanda. Modico tantum tegminum pondere aeger opertus, in lecto quieſcere, et aërem purum temperatum reſpirare, debet.

II. Cum febris vis per haec remedia aliquantum remittit, impetum ſanguinis et congeſtionem in parte inflammata cohibere conamur. Hoc per evacuationes

jam

jam memoratas, et praesertim per missionem sanguinis generalem, efficere possumus; experientia nunc vero plane evincit, sanguinem ex parte dolenti eductum, quamvis parva quantitate, dolorem citius sedare et spasmum solvere. Praeterea, systema ab ea minus laxatur; nam, quantitas parva detracta, quamvis saepius repetita, tantam noxam non affert, quam si subito larga copia missa fuerit; missio tamen topica ipsa ab hoc incommodo non omnino immunis est. Sanguinis missio generalis suos effectus bonos in inflammatione removenda solummodo praestat, cum subita et copiosa eductio facta est; topica in pauca vasa tantum agit, et tensionem in iis minuit.

Sanguis ex parte dolore affecta per hirudines, vel melius per cucurbitulas, educitur. Quando per hirudines fit, quantitas debita saepe non obtinetur, aliquando vero plus justo; haemorrhagia enim sequens, quippe tam parva, per negligentiam

tiam diu pergere permittitur. Per cucurbitulam eductio subitanea est, et quantitatem debitam elicere atque facilius aestimare possumus; quae, si ad tres vel quatuor uncias, plerumque sufficit. Cum dolor ab ea fugatur, articulus panno laneo tegi debet, et aeris frigidi ictus in hunc sollicite evitandus; dolores aliter cito recurrunt.

Cum febris remediis generalibus curatur, dolor vero perstat cum stupore, immobilitate, et frigoris sensu quodam, atque timor est ne malum chronicum evadat, epispastica parti dolenti apposita optima remedia esse videntur. Usus eorum hic valet, non tantum propter fluxum serosum quem efficiunt, sed etiam propter virtutem antispasmodicam. Ob hanc, quanquam valida stimulantia, a viris in re medica versatis, in inflammationibus, ut pleuritide et angina inflammatoria, topice applicata sunt. Vesicantia ex herbis acridis, rubefacientibus, desumpta sunt;

hae vero magnum dolorem ſemper excitant, et ulcus diu apertum relinquunt, quod curationi magis reſiſtit, quam illud ab emplaſtro veſicante communi productum. Hiſce igitur cauſis, quamvis dolores interdum penitus diſſipant, uſus cantharidum illis antefertur. Ad rheumatiſmum chronicum, rubefacientia melius quam ad noſtram ſpeciem aptari videntur, quum fluxu ex parte diuturno opus eſt.

Ranunculus pratenſis ſucculentus, in pultem contuſus, huic fini inſervit; vel, ſi hic deeſt, ſemina ſinapi effectus eoſdem praebent, ut in Noſocomio noſtro multoties expertum eſt.

In hoc morbo, ſudores ſponte ſaepe oboriuntur, et criſin bonam concedunt; igitur, naturam ſequentes, medicamenta ad hanc evacuationem promovendam adhibemus.

Sudorifica

SUDORIFICA tutius adhibentur cum, per ſanguinis miſſionem vel alvi purgationem, febris et diatheſis inflammatoria imminuta ſunt. Sudor vero, per medicamenta calida, ſtimulantia, quae febrim et inflammationem augent, minime provocandus; melius, ſi morbus huc tendat, antimonii praeparatis, decoctis bardanae, ſenekae, vel ſarſaparillae, tepore externo modico, et potu tenui diluente atque tepido. Remedia tamen ſudorifica applicatu difficillima; nam, cum ſudor ab iis non promovetur, per ſtimulum ſuum febris et inflammatio in pejora ruunt; at, ſi in morbi initio haec evacuatio obtinetur magna copia, partem ſanguinis tenuiſſimam diſſipando, jam ſpiſſitudine inflammatoria peccantis, ſummum detrimentum affertur. Praeterea, quamvis medicamenta efficaciſſima apto tempore adhibita ſunt; tamen per aegrorum jactationem et impatientiam, qui operimentum leve prae dolore vix ferre queunt, ſudor copioſus non manare poteſt.

PULVIS

Pulvis Doveriana, vel antimonium cum opio junctum, medicamentum eſt ad ſudores evocandos pollens; ſed, uti effectus ſuos praeſtet, neceſſe eſt cutim calore externo laxare, decocta ſudorifica ſupra memorata, vel avenacea aut hordeacea tepida, pro potu communi propinare. Hoc medicamentum plerumque primo parva doſi adhibetur, et, ſi aegro confert, quantitas paulatim augetur; ita quidem ab ullis effectibus noxiis cavetur: Sed revera vim medicamenti minuimus; ſi enim ſimul et ſemel plena doſi datur, et cum regimine debito, ſudor multo certius elicitur. Pulveris doſis a ſcrupulo eſt ad drachmam uſque, quae grana opii quatuor continet.

III. Spasmum et conſtrictionem ſolvere.

Quædam ad hunc finem utiliſſima jam memorata ſunt, ut ſanguinis miſſio, veſicantia, et ſudorifica; pauca tamen adhuc reſtant.

Nar-

Narcotica inter antiſpaſmodica primum locum tenere ſolent, et hic praecipue indicari videantur, propter aegrorum vigilantiam, et ad dolorem fere intolerabilem ſedandum. Si in veſpertina dolorum et febris exacerbatione opium exhibetur, aegri inquiete dormiunt, delirio vexantur, turbulenta inſomnia habent, et ſaepe ſubito evigilant; poſtridie vero ſubdeliri ſunt, cum pulſu celeri, contracto, et inaequali *. Opium mane poſt exacerbationem datum in melius ſemper conducit; ſomnus tunc levans obtinetur, et cutis leni humore madet, aegrique ad paroxyſmum veſpertinum tolerandum alacriores fiunt. Opium doloris quidem ſenſationem minuit; cauſas vero ejus per ſtimulum ſuum auget, et debilitatem atque irritabilitatem majorem relinquit. Ubi inflammatio valida et febris urgent, uſus ejus periculoſus redditur: E contra, cum torpor et paralyſis, in ejus uſu caute procedendum;

* Storck. ann. med. 2.

cedendum; nam per ejus vim ſedantem haec etiam ingraveſcunt.

Cataplasmata ex foliis papaveris erratici vel hyoſcyami, cum lacte recenti et pauco croco parata, ad dolores ſedandos multum proſunt*. Haec et forte opium ipſum, ubi nullus eſt torpor, ad externa applicata, remedia topica utiliſſima ſunt; tuto tunc ſpaſmum laxando agunt, et ſtimulum nullum generalem communicant. Cum febris vehementia mitigatur, dolores vero vividi perſtant, fomenta ad tenſionem et conſtrictionem minuendam applicantur; nullam tamen utilitatem generalem habent; cum dolores vero ſaeviſſimi, propter levamen temporarium, adhibentur. In eorum uſu vero non nimis diu perſiſtendum, niſi rigiditas adſit; nam laxando dolores magis figunt, et vaſorum debilitatem relinquunt.

Post rheumatiſmum, ſi in morbi curatione

* Storck.

tione evacuationes magnae factae sunt, debilitas saepe diuturna et periculosa sequitur, et corpus maxime frigori sensile redditur: Ideo aegri, ab hoc liberi, proclives ad recidivum sunt; et recidivus longe pertinacior et curatu difficilior. Hac causa, convalescentes solicite sibi cavere debent, ne corpus suum nimium calefaciant, vel aëri frigido nocturno exponant.

Haec debilitas totius systematis est, et diaeta nutriente, concoctu facili, medicamentis stomachicis roborantibus, et exercitio curatur. Debilitas vero saepe sequitur in artubus solummodo, ubi dolores maxime vexarunt: Haec a duabus praecipue causis orta; vel ab influxu fluidi nervosi impedito, vel a solidi simplicis laxitate; altera paralysis, altera atonia, appellatur. Hae conditiones diversae, a morbo relictae, remedia fere contraria postulant. Cum paralysis et rigiditas adsunt, balneum et emollientia prosunt, praesertim si emollientibus stimulantia jungamus, ut in oleis

leis vel linimentis volatilibus. Electrizatio et frictio etiam hic juvant; et ſi motus non integre aboletur, exercitium lene inſtituendum, et paulatim augendum, donec artus mobilitatem et flexibilitatem priſtinam recuperaverit. Cum atonia relinquitur, tenſionem debitam lavatione frigida et exercitio obtinemus, quae robur adaugent, et ſanitatem confirmant. Lavatio vero frigida, poſt morbum integre devictum, ſolummodo adhibetur, cum nulla febris, nulla eſt diatheſis inflammatoria; aliter enim periculoſiſſima foret.

F I N I S.

